Mīlle Fābulae et Ūna (Laura Gibbs's Aesop): Fābulae 1-10

cum Paraphrasibus ā Davō Circulō (David Ring) Cōnscriptīs

1. Leo et Canis. Occurrit canis leoni et iocatur, "Quid tu, miser, exhaustus inedia, percurris silvas et devia? Me specta pinguem ac nitidum, atque haec non labore consequor, sed otio." Tum leo, "Habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam vincula. Tu servus esto, qui servire potes; equidem sum liber, nec servire volo."	Canis leoni obviam iit huic deridens, "Quare tu, infelix, fame fere confectus, silvas solitudinesque pererras? Ecce! Ego sum opimus atque lautus et his adeptus sum haud propter sudorem, sed sine cura." Tunc leo, "Tibi sane est cena, sed haud honeste etiam cum catenis. Fruere servitute tua, qui domari potes; ego quidem nullius imperio pareo."
2. Leo Iratus et Puteus. Leo olim, iratus et odio furens, dum leonem alium elapsum quaerit quem mactet, in puteum offendit. Inspicit; suam imaginem in liquore pictam videt. Sibi credit hunc hostem adesse quem vult; irruit, et perit. Saepe furiosi plus sibi quam aliis nocent.	Quondam leo, incensus et maxima cum invidia permotus, cum leonem alium fugatum peteret, caedis cupidus, puteum invenit. Puteo inspecto, simulacrum suum in aqua pictum sentit. Se putat esse inimicum quaesitum; insilit atque moritur. Nonnumquam insani magis se quam alios incommodo afficiunt.
3. Leo Furens et Caprea. Conspecto leone furente, "O miseram et infelicem conditionem bestiarum," inquit caprea, "siquidem etiam furiosos habiturae sumus leones, quorum mentis et rationis compotum saevitiam intolerabilem esse experimur."	Ubi leonem ira inflammatum vidit, capra quaedam locuta est, "Quam calamatosa ac funesta est fortuna ferarum, quandoquidem inter nos erunt leones quoque magna cum ira conciti, quippe qui sani crudelitatem non ferendam nobis inferunt."

4. Leo et Tauri Duo. In duos tauros leo faciebat impetum, lautas sibi epulas quaerens. Illi, coniunctis viribus, opponunt cornua, medios ne irruere possit leo. Duobus ergo impar leo viribus, dolo agere coepit, sicque est allocutus alterum, “Amicum tuum si prodideris mihi, incolumem hinc ego te dimittam.” Qua usus fraude, facili utrumque necavit negotio.	Duo tauros oppugnabat leo, cenam sumptuosam petens. Ii, vim hostis sustinentes una, obiciunt cornua sua, ut impetum leonis resistant. Leo igitur, defensioni duplici dispar, insidias struebat itaque locutus alteri, “Sodalem tuum si tradideris mihi, intactum te abire patiar.” Quem dolum adhibens, nullo labore ambos occidit.
5. Leo, Lepus, et Cerva. Leo, dormientem leporem nactus, confestim eum devorare parabat. Cervam interim praetereuntem conspicatus, relicto lepore, eam persequi coepit. Lepus interea, strepitu excitatus, inde fugam abripuit. Leo autem, postquam cervam longe est insecutus nec eam adsequi potuit, ad leporem reversus est. Sed eum quoque fuga elapsum cum reperisset, “Ego mehercule digna patior,” inquit, “quia, paratam in manibus escam reiiciens, incertam volui spem sequi.”	Leo, cuniculum somno deditum assecutus, sine mora eum consumpturus erat. Tum simul atque appropinquantem cervam conspexit, cuniculum reliquit ad illam petendam. Dum haec aguntur, cuniculus, sonitu suscitatus, illinc effugit. Sed leo, quamquam cervam diu subsecutus est, eam rapere vix potuit itaque ad cuniculum rediit. Cum primum autem eum etiam effugisse sensisset, “Edepol! Merito hoc suffero,” inquit, “quod, praesentem in manibus epulam aspernans, in re dubia spem repositam habui.”
6. Leo et Equus. Venit ad equum comedendum leo. Carens autem prae senecta viribus, meditari coepit artem. Medicumque se esse profitetur verborumque ambagibus equum moratur. Equus dolo dolum, artem opponit arti; fingit se dudum in loco spinoso pupugisse pedem oratque ut inspiciens sententiam medicus educat.	Leo equum comesum venit. Debilis vero propter senectutem, dolum faciebat. Medicum se fingens, circuitionibus verborum equum retardat. Equus insidiis insidias, machinam obicit machinae; simulat se diutius spinam in pede habuisse obsecratque ut pede inspecto consilium medicus det.

Paret leo, at equus multa vi calcem leoni impingit et se continuo conicit in pedes. Leo, vix tandem ad se rediens, ictu enim prope exanimatus fuerat, “Pretium,” inquit, “fero ob stultitiam, et is iure effugit. Dolum enim dolo ultus est.”	Annuit leo, sed equus pro viribus calcem leoni impellit et fugam confestim capit. Leo, cum demum ad se aegre rediret, nam percussione paene confectus erat, ad se allocutus est, “Damnum passus sum, propter amentiam, ac ille meritis suis elapsus est. Etenim insidias insidiis vindicavit.”
7. Leo et Unicornis. Leo, fingens se infirmum, obviavit, claudicans, unicorni, adversario suo capitali et salutato eo dixit, “Qualitercumque actum fuerit inter nos hactenus, remittatur hinc inde, quod ego ulterius nulli nocere potero, prout vides, senio et variis incommodis debilitatus. Sed multum affectarem semel loqui cum coniuge mea, quae est in deserto, ante meam mortem et peterem a te ut accommodare mihi velis cornu tuum pro podio habendo in itinere, quia satis longum et forte est. Tibi remittam illud quam cito ad coniugem pervenero, et ad hoc tibi do fidem meam.” Unicornis vero, dictis eius omnibus credens et ipsius confictae miseriae compatiens, commodavit cornu suum et sic remansit inermis. Leo vero, modicum progrediens, fecit insultum in unicornem et, proprio cornu graviter vulnerans, devicit eum.	Leo, simulans se aegrum et altero pede nuto ambulans, occurit unicorni, inimico suo maximo, atque, cum eum salvere iussisset, inquit, “Quomodocumque res nobiscum antea evenerint, omnia posthac parcenda sunt, nam nullo modo mihi erit iniuriae faciendae facultas, scilicet, iam in aetatem provecto defectoque detrimentis diversis. Sed ardenter cupio confabulari cum uxore mea, quae deserta inhabitat, semel saltem priusquam ex vita discedam; itaque te oro ut mihi mutuo des cornu tuum, quod est baculo longius validiusque, auxilio mihi iter facienti. Tibi id reddam, simul atque uxorem advenero, et hoc bona fide agam.” Quibus auditis, unicornis, credulus propter dolorem eius fictum magna cum misericordia affectus, cornu suum mutuo dedit atque tali modo semet ipsum telo unico privavit. Leo igitur, paulo propius appropinquans, eum oppugnavit. Quem telo suo identidem percussum, leo superavit.

8. Leaena et Ursa. Erat leaena duos habens catulos. Exit autem ad venandum et venit quidam venator et catulos occidit et cum ipsorum pellibus discessit. Hoc videns, leaena contristata valde flebat. Ursa vero, tristitiam eius videns, venit ad eam dixitque ei, “Cur tristaris?” Illa respondit, “Quia venator catulos meos interfecit.” Ursa dixit, “Noli tristari; desine flere, quia passa es quod fecisti. Dic mihi, quid his annis comedisti?” Leaena respondit, “Carnes animalium.” Dixit ursa, “Quis tibi dabat?” Et ipsa, “Ego capiebam.” Et ursa, “Animalia quae capiebas parentes habebant?” Et illa, “Habebant.” Ursa ait, “Sic de filiis tristabantur ut tu nunc de tuis, et ipsa passa es sicut tu faciebas.” Haec audiens, leaena siluit et paenituit et, carnes comedere desinens, fructus manducare incepit.	Erat leaena quae duo catulos peperat. Discedit autem venatum. Deinde venator certus advenit et, catulis caesis, cum pelles eorum cepisset, abivit. Quo viso, leaena maxima cum tristitia lugebat. Deinde ursa, his rebus animadversis, venit et ad alteram allocuta est, “Quamobrem tantopere fles?” Cui respondit, “Quod venator catulos mihi occidit.” Ursa inquit, “Ne sis tristis; lacrimas tene, quia sustulisti quod egisti. Dic mihi, quid per hos annos edisti?” Leaena inquit, “Carnem bestiarum.” Ursa rogavit, “Quomodo nacta es?” Leaena respondit, “Ego ipsa rapiebam.” Et ursa, “Erantne bestiis raptis parentes?” Leaena respondit, “Erant.” Ursa inquit, “Ita liberos caesos lugebant sicut nunc tu tuos, ergo tu ipsa sustulisti eodem modo tu agebas.” His verbis auditis, leaena silentium diu tenuit culpam suam putans itaque carne reiecto poma holeraque sola comedere coepit.
9. Leaena et Sus. Sus et leaena litigabant ad invicem. Sus autem dixit leaenae, “Et tu, in quo te iactas, pro qua re tantam elevaris in superbiam? Labor tuus inanis est, et cum per annum unum labores, non potest habere nisi catulum unum. Ego fecunda et grata sum hominibus, et per duos quosque menses porto quattuordecim porcellos.”	Quondam rixa inter suem et leaenam orta est. Sus leaenam allocuta, “Curnam tu tanta arrogantia gloriaris? Quisnam nescit te frustra sudare soles? Tu, toto anno peracto, tantum parire potes catulum unum. Fertilis equidem atque hominibus bene accepta, propterea quod intra duo menses pario bis septem porcellos.”

Respondit, "Verum est, sed tu paris porcellos, ego leonem." Exemplum est verbosi, qui multa loquitur inutilia. Sapiens autem paucis contentus est verbis.	Cui respondit, "Vera dicis, sed tu paris porcellos, ego leonem." Haec fabula exemplum loquacis praebet, qui plurima nec frugifera fert. Prudenti vero sufficit sermo modicus.
10. Leonis Filius et Homo. Leo filio praecipiebat ne cum homine depugnaret, sed dicta eius filii animum non tangebant. Cum adolevisset, progreditur videtque in agro boves et rogat num homines sint; illi se homines esse negant, sed iugum ab homine impositum portare dicunt. Tum equum conspicatur et rogat num homo sit. "Minime," inquit; "ego equus, sed homini servio." Paulo post, quendam cernit in silva, ligna cuneis findentem. "Homo videris esse," inquit; "pugnabis igitur mecum." "Maxime," inquit ille; "sed, quaeso te, distrahe prius hanc arborem." Leo mox ungulas arboris fissurae incutit et dimovit ut cuneus excideret, et sic captus est. Omnibus vero viribus adhibitis, pedes de ligno retraxit ac ad suum patrem pedibus cruentis reversus est, et ait, "Mi pater, si paruissem monitis tuis, ungulas non amisissem."	Leo parvulum suum admonebat ut certamen cum homine vitaret. Praecepta autem parvulus vix accepit. Paulo post, iam adulescens profectus et boves in agro conspectus interrogavit utrum homines essent. Cui dixerunt se non esse homines, sed pro his, sub iugum, laborare. Deinde equum conspicit atque interrogat utrum homo sit. "Haudquaquam," ait, "immo equus sum, servus hominis." Postea, hominem tandem in silva videt, qui ligna cuneis findebat. "Homo videris esse," ait filius, "ergo veniamus in certamen." Cui respondet, "Libenter, sed, oro te ut ante certamen hanc arborem avellas." Deinde leo ungues in arboris fissurae defixos dimovit ut cuneus elaberetur, et tali modo comprehensus est. Cum autem maxima cum vi pedes de ligno retraxisset atque ad suum patrem pedibus laceratis reverteretur, inquit, "Mi pater, si modo dicto tuo audiens fuissem, ungulas adhuc haberem."